BIBLIA LATINA, BD. 1
Salzburg (?), 2. Viertel 14. Jh.
Seite 80v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

mulier in conspectu domini discoo-
periet caput suum et ponet super
manus illius sacrificium recorda-
cionis et oblacionem zelotipie. Ipse
autem tenebit aquas amarissim-
as in quibus cum execracione
maledicta congessit. Adiurabitque
eam sacerdos et dicet. Si non dormi-
vit vir alienus tecum et si non pol-
luta es deserto mariti thoro non te
nocendo nocebunt aque iste a-
marissime in quas maledicta con-
gessi. Si autem declinasti a viro tuo
atque polluta es concubuisti cum alio
viro his maledictionibus subia-
cebis. Det te dominus deus in
maledictionem exemplumque cun-
ctorum in populo suo. putrescere faci-
at femur tuum et tumens uterus
tuus disrumpatur. Ingrediantur
aque maledicte in ventrem tuum.
et utero tumescente putrescat fe-
mur tuum. Et respondebit mu-
lier amen amen. Scribetque sacer-
dos in libello ista maledicta et dele-
bit ea aquis amarissimis in quas
maledicta congessit et dabit ei bi-
bere. Quas cum exhauserit tol-
let sacerdos de manu eius sacrifi-
cium zelotipie et elevabit illud
coram domino imponetque super
altare ita dumtaxat ut prius pu-
gillum sacrificii tollat de eo quod
offertur et incendat super altare et
sic potum det mulieri aquas am-
arissimas. Quas cum biberit si
polluta est et contempto viro adul-
terii rea est pertransibunt eam aque
maledictionis et inflato ventre pu-
trescet femur. Eritque mulier in
maledictionem et in exemplum omni
populo. Quod si polluta non fuerit erit
innoxia et faciet liberos. Ista est
lex zelotipie. Si declinaverit muli-
er a viro suo et polluta fuerit maritusque
zelotipie spiritu concitatus ad-
duxerit eam in conspectu domini et fe-
cerit ei sacerdos iuxta omnia que
scripta sunt maritus absque culpa
erit et illa recipiet iniquitatem suam

VI

Locutusque est
dominus ad moysen dicens
Loquere filiis israel et dices
ad eos. Vir sive mulier cum fecerint
votum ut sanctificentur et se voluerint
domino consecrare a vino et omni
quod inebriare potest abstinebunt. A-
cetum ex vino et ex qualibet alia po-
cione et quicquid de uva exprimitur
non bibent. Uvas recentes siccas-
que non comedent cunctis diebus qui-
bus ex voto domino consecrantur
Quicquid ex vinea esse potest ab
uva passa usque ad acinum non co-
medent omni tempore separacionis
sue. Novacula non transibit
per caput eius usque ad completum
diem quo domino consecratur
Sanctus erit cesarie capitis eius
crescente omni tempore consecraci-
onis sue. Super mortuum non ingre-
dietur nec super patris quidem et matris
et fratris sororisque funere contami-
nabitur quia consecracio dei sui
super caput eius est. Omnes dies
separacionis sue sanctus erit domino
quando in domibus suis sunt na-
zare. Si autem mortuus fuerit
subito quispiam coram eo pollu-
etur caput consecracionis eius.